

rum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Bano, eiusque Vicebanis et Iudicibus Nobilium in Regno Sclauonie predicto constitutis salutem et gratiam. Intelleximus, qualiter Nobiles vnus sessionis in eodem Regno nostro Sclauonie commorantes subsidium viginti quinque denariorum, nuper ad impositionem victualium per Vniuersitatem Nobilium eiusdem Regni ordinatum et oblatum, exsoluere nollent. Quoniam autem ea lege fuerit oblatum, vt etiam ipsi Nobiles vnus sessionis soluere debeant, propterea volumus et fidelitati vestre harum serie firmiter mandamus, quatenus acceptis presentibus vniuersos et singulos Nobiles vnus sessiones predicti Regni nostri Sclauonie ad exolucionem predicti subsidij viginti quinque denariorum per omnia solita grauamina et queuis opportuna remedia compellere debeatis, Aucthoritate nostra Regia presentibus vobis in hac parte attributa mediante. Secus facere non ausuri. Nam alioquin certis, quod si quid damni per negligenciam vestram in his perceperimus, vobis imputabimus et a vobis etiam requiremus. Presentes superinde pro vestra reseruando expedicione. Datum Bude die Dominico proximo post festum Omnium Sanctorum. Anno Millesimo Quingentesimo decimo sexto.

(*Sigillum Regium appressum*).

Orig. in Archivo Regni Croatiae Priv. Nro. 126.

CLXXXII.

Anno 1516 Budae.

Ludovicus II. Rex prothonotarium Regni Slavoniae octavis,
a Bano indicendis, interesse iubet.

Commissio propria domini Regis de consilio.

Lodonicus, dei gracia Rex Huugarie et Bohemie &c. Fideli nostro Egregio Magistro Stephano Henczellffy, Regni nostri Sclauonie prothonotario, Salutem et gratiam. Supplicacione Vniuersitatis Nobilium Regni nostri Sclauonie predicti nobis porrecta, intellecta et exaudita, octauas seu Iudicia festi Epiphaniarum domini proxime affuturi Reuerendo in Christo patri domino Petro Beryzlo, Episcopo Wesprimiensi, Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie predicti Bano eiusque Vice-Bano per alias literas nostras publicare celebrareque ac ipsi Vniuersitati Nobilium ad requisicionem eiusdem Bani nostri aut sui Vice-Bani celebrationi earundem octauarum interesse commisimus et fidelitai tue harum serie firmiter committimus et mandamus, quatenus celebrationi interesse